

Cambridge University Press

978-1-108-04273-4 - Chronicon Monasterii de Abingdon: Volume 1: From the Foundation  
of the Monastery Until the Norman Conquest

Edited by Joseph Stevenson

Excerpt

[More information](#)

---

HISTORIA MONASTERII DE ABINGDON.

Cambridge University Press

978-1-108-04273-4 - Chronicon Monasterii de Abingdon: Volume 1: From the Foundation  
of the Monastery Until the Norman Conquest

Edited by Joseph Stevenson

Excerpt

[More information](#)

---

Cambridge University Press

978-1-108-04273-4 - Chronicon Monasterii de Abingdon: Volume 1: From the Foundation of the Monastery Until the Norman Conquest

Edited by Joseph Stevenson

Excerpt

[More information](#)

. . . . <sup>1</sup>lam inhabitantibus novo usus vocabulo A.D. 201.  
a nomine suo Bruto insulam Britanniam sociosque suos  
Britones nuncupavit. Quo carnsexuto<sup>2</sup> ergastulo sine  
fide Catholica, successerunt ei reges multi usque ad  
tempus regis Lucii, fidei Christianæ similiter ignari.

Hic autem Lucius, audita fama et sanctitate prædi-  
catorum in civitate Romana tunc temporis degen-  
tium, nuntios suos cum litteris suis patentibus ad  
venerabilem papam Eleutherium destinavit, quam to-  
tius rogans devotissime et supplicans attentius, qua-  
tinus per mandatam et voluntatem ejus Christianus  
efficeretur. Hujus itaque comperta devotione, ad pre-  
cum suarum instantiam misit vir venerabilis Eleu-  
therius papa ad Lucium regem illustrem nuntios suos,  
Faganum videlicet et Divianum, viros religiosos, nec-  
non fide Catholica sufficienter instructos. Hi vero  
cum celebri devotione regem ipsum et populum suum  
unanimes assensu et pari concordia baptizaverunt,  
destruentes idola, et ecclesias fideliter construentes.  
Quid multa? hi duo viri sinceri in omnibus et per  
omnia Deo devoti, Christianitatis executores effecti,

Conversion  
of King  
Lucius by  
Pope Eleu-  
therius.

<sup>1</sup> *lam inhabitantibus*] The narra-  
tive begins abruptly in the middle  
of the fourth chapter. The corre-  
sponding passage from MS. Cott.  
Claud. C. ix. fol. 102, is as fol-  
lows:—

“INCIPIT LIBER PRIMUS TERRA-  
RUM HUIUS ECCLESIAE ABBENDON-  
ENSIS, CONTINENS ANNOS CCCCXIV.

“Mons Abbendone ad septemtrio-  
nalem plagam Tamese fluvii, ubi  
prætermeat pontem Oxenefordis  
urbis, situs est; a quo monasterio  
non longe posito, idem nomen indi-  
tum. Quis autem antiquorum illius  
primum institutor fuerit, moni-

mento veterum accepimus, quod  
Cissa rex Occidentalium Saxonum  
Heano cuidam, religiosæ vitæ viro,  
ac abbati, simulque sorori ejusdem,  
Cille nomine, locum ad Omnipoten-  
tis Dei cultum construendi cœnobii  
dedit, collatis ad hoc, regio munere,  
plurimis beneficiis et possessionibus  
ob vitæ necessarium inibi fore de-  
gentium. Uterque siquidem regio  
nobilitabatur genere. Verum non  
multo post, antequam designato  
insisteretur operi, rex ipse vita  
functus est.”

<sup>2</sup> *carnsexuto*] Carnis exuto? Cf.  
p. 5, line 21.

A

Cambridge University Press

978-1-108-04273-4 - Chronicon Monasterii de Abingdon: Volume 1: From the Foundation of the Monastery Until the Norman Conquest

Edited by Joseph Stevenson

Excerpt

[More information](#)

- A.D. 201. constituere decreverunt per loca singula singulos ministros Dei Omnipotentis; et ubi archiflamines secundum legem gentilium invenerunt, loco eorum archipræsules, similiter ubi flamines, episcopos subrogaverunt. Fuerunt autem tunc temporis archipræsules tres tribus in locis famosissimis, videlicet Londonia, Eboraci, et apud Urbem Legionum.

*V.—Per quantum Tempus duravit Christianitas in Britannia postquam Lucius Rex suscepit Christianitatem.*

Death of Lucius, and arrival of Abbennus. Interea rege Lucio viam universæ carnis ingresso, corpus ipsius in villa Gloucestræ honorifice humatum est, ut regiam decebat sepulturam. Post hujus vero decessum, ut multa paucis perstringamus, usque ad tempus Dioclesiani imperatoris, sub tranquilla devotione et sancta conversatione, in Britannia duravit Christianitas; floruit etiam his temporibus in Britannia finibus, Deo disponente, ferventissima monachorum religio, et sanctitatis multis in locis memoranda devotio. Verumtamen tunc temporis fuit quidam religiosus monachus, Abbennus nomine, qui ex Hibernia Britanniam veniens, verbum Dei, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illi, fideliter prædicabat. Hic vero post temporis processum illustrissimi regis Brittonum curiam adiens, ubi laudabiliter receptus et magnifice ab omnibus honoratus, ipsi regi amoris privilegio in tantum specialis est effectus, ut in ipso se gauderet alterum repperisse Joseph. Obtinuit autem memoratus Abbennus a rege Brittonum, ad precum suarum instantiam, maximam partem Berrocensis provincie, in qua de consensu regis et consilio regni monasterium feliciter fundavit, cui nomen Abendoniam, vel a nomine suo vel a loci vocabulo, alludenter imposuit. Secundum enim idioma Hiber-

Cambridge University Press

978-1-108-04273-4 - Chronicon Monasterii de Abingdon: Volume 1: From the Foundation of the Monastery Until the Norman Conquest

Edited by Joseph Stevenson

Excerpt

[More information](#)

## HISTORIA MONASTERII DE ABINGDON.

3

nensium, ut ex relatione modernorum accepimus, Ab- A.D. 201.  
bendon "mansio Abenni" interpretatur; secundum  
vero idioma Anglorum Abbendun "mons Abenni"  
vulgariter nuncupatur.

Est autem locus ille in planitie montis, visu deside- Description  
rabilis, paulisper ultra villam quæ nunc vocatur Sunig- of Abing-  
gewelle, inter duos rivulos amænissimos, qui, locum don, and  
ipsum quasi quendam sinum inter se concludentes, return of  
gratum cernentibus præbent spectaculum et opportu- Abennus to  
num habitantibus subsidium. Congregavit etiam ibi Ireland.  
venerabilis vir Abbennus copiosam monachorum  
multitudinem; videlicet trecentos monachos vel eo  
amplius, jugi devotione ibidem Deo famulantes, qui-  
bus pater et abbas non tantum præfuit, sed secundum  
regulam beati Benedicti plus studens amari quam  
timeri, omnibus per omnia profuit. Novissimis vero  
diebus suis, cum esset cani capitis, sanctus vir Ab-  
bennus, Christi vestigia sequens, et pro Ejus amore  
gloriam mundi spernens, captusque dulcedine natalis  
soli, Hiberniam petiit, ibique divina disponente cle-  
mentia in sancta conversatione vitam suam finivit.  
Mansit autem monasterium Abbendonæ in Catho-  
lica fide et monastica religione usque ad adventum  
Anglorum. Et quia de Anglis a nobis est mentio  
facta, virtus nobis assit angelica, ut nihil præter  
veritatem de Anglis proferamus.

VI.—*De Adventu Saxonum in Britanniam.*

Anno itaque Dominicæ Incarnationis CCCCLXIX. reg- The arrival  
nante Vortegerno in Britannia, ut ex tenore veritatis of the  
venerabilis<sup>1</sup> Bedæ presbyteri accepimus, venerunt in Saxons and  
Brittanniam navali vehiculo de partibus Germaniæ Angles,  
Saxones, Angli, et Juti. Qui licet diversarum essent A.D. 449.  
provinciarum, maxima tamen eos concatinavit dilec-

<sup>1</sup> Bedæ.] HLE, 1. xiv. xv.

Cambridge University Press

978-1-108-04273-4 - Chronicon Monasterii de Abingdon: Volume 1: From the Foundation of the Monastery Until the Norman Conquest

Edited by Joseph Stevenson

Excerpt

[More information](#)

A.D. 449. tionis integritas, pariter et fœderis confœderatio. Hi ad petitionem regis Vortegerni Britanniaë applicuerunt ad insulam, pollicentes contra inimicos ipsius regis (Scottos videlicet et Pictos, qui Britanniam atrociter debellaverant) auxilium se fore præstatueros. Verumtamen quibus succedentibus ad votum his quæ in animo avide conceperant, inito certamine cum Scottis et Pictis, Saxones sumpsere victoriam. Verum quod cum Saxoniam prospero eventu renunciatum, pariter et insulae fertilitas denuntiata, et Brittonum segnitias fuisset expressa, itidem retransmittitur illo veloci cursu classis prolixior, armatorum manum deferens fortio-rem; quæ formidinem formidini Brittonum exaggerans, et vires viribus accumulans, inexpugnabilem reddidit exercitum. Hi itaque in Britannia degentes, inito consilio cum Scottis et Pictis, post temporis protelationem, neminem qui eis in aliquo resisteret, aut jurisdictioni eorum perfunctorie vel orarie contradiceret, invenerunt. His ita gestis, disponente justo mundi Iudice, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, gens memorata civitates muratas pariter et agros, arboribus extirpatis, depopulantes, suum ubique continuaverunt incendium, ita ut totam insulae superficiem funere et fumo obtexisse viderentur. Sed ad quid<sup>1</sup>

Conversion and baptism of Ceadwealla, A.D. 689. annis juventutis suæ tam naturæ quam industriæ, et cum se invenisset longe recessisse a Creatore suo, oculis cum manibus in cœlum erectis, longa trahens suspiria, in hunc modum prorumpit in vocem: — “ Creator creaturarum Deus! miserere mei super omnes homines miseri; peccavi, erravi, et scienter denegavi! Sed Tu, mitissime Domine! qui non vis mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, et vivat; verte vultus ad singultus, verte ad suspiria mea oculos misericordiae tuæ, et concede mihi spatium emenda-

<sup>1</sup> *ad quid.*] Two leaves apparently are here lost from the manuscript.

Cambridge University Press

978-1-108-04273-4 - Chronicon Monasterii de Abingdon: Volume 1: From the Foundation of the Monastery Until the Norman Conquest

Edited by Joseph Stevenson

Excerpt

[More information](#)

## HISTORIA MONASTERII DE ABINGDON.

5

“ tionis vitæ meæ, ut sufficienter doleam, et deleam ea A.D. 689.  
 “ quæ ab ineunte ætate scienter et ignoranter contra  
 “ voluntatem tuam perpetravi.” Nec mora potavit  
 eum vino compunctionis<sup>1</sup> Deus, cui omne cor patet et  
 omnis voluntas loquitur, ut fugeret a facie<sup>2</sup> arcus. In-  
 spiratus itaque rex Ceadwalla gratuito et repentino  
 instinctu Spiritus Sancti (qui quando vult, et ubi  
 vult, spirat; qui quem vult et quantum vult inspirat;  
 qui cui vult miseretur, et quem vult indurat,) dixit  
 se velle ad baptismum cum omni festinantia prope-  
 rare, et errori gentilitatis penitus renuntiare. Quod  
 ut fieret cum majori solemnitate (quamvis sacra-  
 mentum in se non minus habeat efficaciam in bap-  
 tizatis propter personas baptizantium, exclusâ neces-  
 sitate), rebus tamen domi bene dispositis, Romam  
 festinanti gressu petiit, ubi a Sergio papa honorifice  
 susceptus, et ab eo in die sancti Sabbati Paschalis  
 [10 Apr.], anno Dominicæ Incarnationis DCLXXXIX.  
 gloriosissime est baptizatus, et a Beato Petro Petrus  
 feliciter est appellatus. Ubi etiam dum adhuc in albis  
 esset, carnis exutus ergastulo xii. kalendas Martiarum,<sup>3</sup>  
 feria vi., sepultus in basilica beatorum Apostolorum  
 Petri et Pauli, quievit in pace pectoris, pacem præ-  
 stolans æternitatis. Fecit autem Sergius papa epi-  
 taphium ipsius regis metricæ, et in sarcofago ipsius  
 exarari decrevit; cuius epitaphii tenor hic est.

*Epitaphium Regis Ceadwallæ.*

“ Culmen, opes, sobolem, pollentia regna, triumphos,  
 Exuvias, proceres, mœnia, castra, lares;  
 Quæque patrum virtus, et quæ congesserat ipse  
 Ceadwalla regnipotens,<sup>4</sup> liquit amore Dei;

<sup>1</sup> *vino compunctionis.*] See Psal. xcvi. 5 Vulg.

<sup>2</sup> *facie arcus.*] See Psal. lix. 6 Vulg.

<sup>3</sup> *Martiarum.*] Read ‘Maiaurum,’ i.e. 20 April.

<sup>4</sup> *regnipotens.*] Read ‘armipotens,’ which is given in the margin as a various reading.

Cambridge University Press

978-1-108-04273-4 - Chronicon Monasterii de Abingdon: Volume 1: From the Foundation of the Monastery Until the Norman Conquest

Edited by Joseph Stevenson

Excerpt

[More information](#)

## 6 HISTORIA MONASTERII DE ABINGDON.

A.D. 689. Ut Petrum sedemque Petri rex cerneret hospes,  
 Cujus fonte meras sumeret almus aquas;  
 Splendificumque jubar radianti carperet haustu,  
 Ex quo vivificus fulgur ubique fluit.  
 Præcipiensque<sup>1</sup> alacer redivivæ præmia vitæ,  
 Barbaricam rabiem, nomen et inde suum  
 Conversus convertit ovans, Petrumque vocari  
 Sergius antistes jussit, ut ipse pater  
 Fonte renascentis, quem Christi gratia purgans  
 Protinus albatum vexit in arce poli.  
 Mira fides regis, clementia maxima Christi,  
 Cujus consilium nullus adire potest.  
 Sospes enim veniens sub primo<sup>2</sup> ex orbe Britanno,  
 Per varias gentes, per freta, perque vias,  
 Urbem Romuleam vidit, templumque verendum  
 Aspexit Petri, mystica dona gerens.  
 Candidus inter oves Christi sociabilis ibit;  
 Corpore nam tumulum, mente superna tenet.  
 Commutasse magis sceptrorum insignia credas,  
 Quem regnum Christi promeruisse vides.”

IX.—*Descriptio Villæ Seuekesham, postea Abben-  
doniam appellatæ.*

Descrip-  
tion of  
Abingdon.

Verum ne sub silentio nobilitatem villæ Seuechesham prætereamus quasi rei veritatis ignari, aliquid de ea probabili relatione et fide digna ad præsens in medium proferamus. Fuit itaque Seuechesham civitas famosa, aspectu desiderabilis, divitiis plena, agris circumdata uberrimis, vernantibus pratis, diffusis campis, et gregibus lactifluis. Hic sedes regia; huc cum de regni præcipuis et arduis tractaretur negotiis, concursus

<sup>1</sup> *Præcipiensque.*] In the margin | <sup>2</sup> *sub primo.*] Read ‘supremo’  
 ‘Percipiens.’ | with Beda, H.E. v. 7.



Cambridge University Press

978-1-108-04273-4 - Chronicon Monasterii de Abingdon: Volume 1: From the Foundation of the Monastery Until the Norman Conquest

Edited by Joseph Stevenson

Excerpt

[More information](#)

fiabat populi, ubi etiam a primis Britonum temporibus A.D. 689. locus fuit religionis, tam tempore religionis fanaticæ, quam tempore religionis Christianæ. In hac etiam civitate plura fuerunt indicia Christianitatis ex antiquorum conversatione Britonum, ut supra dictum est. Cruces etenim et imagines quæ in villa ipsa nunc hic nunc illic effossæ reperiabantur, hujus rei præbent experimentum.

#### XII.—*De Inventione Nigræ Crucis.*

Inter alias cruces etiam inventa fuit Crux<sup>1</sup> illa Of the discovery of the Black Cross. sancta, quæ Nigra Crux appellatur. Sancta enim adeo est, ut nullus, juramento super eam præstito, impune et sine periculo vitæ suæ possit affirmare mendacium; creditur etenim ex clavis Domini ex magna parte conflata et facta. Nec tamen a Constantino Magno, qui in ea regione imperator creatus fuit, ibi reposita, ut quidam dicunt, sed credibilis quidem a benevolis suis Britannis, quos secum Romam profecturus deduxerat, transmissa illuc, ut memoria sanctitatis et meriti utrorumque, scilicet matris et filii, insignius appareret, ubi et corporalis præsentiae ipsorum conversatio habita magnificabatur. Vel certe transmittente Cæsare ipso, vel matre ejus, ad honorem et tuitionem patriæ, de qua ad imperium assumptus fuerat, ut prædiximus, a quibus propter merita et sanctitatem eorum, crucem Domini constat fuisse inventam. Tempore Anglorum ædificata ibi capellula ipsius sanctæ Helenæ, quæ aliquando ibi tempore viri sive filii conversata fuerat, crucem illam repertam fuisse asserunt, per quam multa signa, indicens sanctuarii illius virtutes, monstrata sunt. Quot rei perjurio super eam deprehensi sint! Non est numerus

<sup>1</sup> *Crux.*] Here in the text is introduced a drawing of this cross.

Cambridge University Press

978-1-108-04273-4 - Chronicon Monasterii de Abingdon: Volume 1: From the Foundation of the Monastery Until the Norman Conquest

Edited by Joseph Stevenson

Excerpt

[More information](#)

A.D. 689. miraculorum. Unus (cum tot virtutibus quas enumerare non possumus, mendacia et assertiones falsæ detegerentur) reverentia qua debebat honorabiliter tractabatur, et volentibus fratribus eam auro et argento ornare, quicquid ei in una die circa adaptabatur, totum altera decidisse et dissolutum esse videbant, nec potuit aliqua parte aliquando aurum vel argentum circa eam confirmari, sindone tantum exterius per totum involuta est.

History of the Nuns of Helnestoue. Verumtamen rex Cedwalla<sup>1</sup> (cujus animæ propitietur Deus,) non tantum bona supra enumerata Abendonæ contulit, verum etiam de propria voluntate sua Cille, sorori Heani patricii, dedit licentiam construendi monasterium in loco qui nunc dicitur Helnestoue juxta Thamisiā; ubi virgo Deo sacrata et sacro velamine velata quamplurimas coadunavit sanctimoniales, quarum in posterum mater extitit et abbatissa. Post hujus decessum, succedente temporis intervallo quam plurimo, translatae sunt sanctimoniales præfatæ ab illo loco ad villam quæ dicitur Witham. Succedentibus vero nonnullis annis, cum grave bellum et a seculo inauditum ortum fuisset inter Offam regem Merciorum et Kinewlfum regem Westsaxonum, tunc temporis factum erat castellum super montem de Witham, ob cujus rei causam recesserunt sanctimoniales illæ a loco illo, nec ulterius redire perhibentur.

<sup>1</sup> Cedwalla.] The MS. Claud. C. ix., thus narrates the benefactions of Ceadwalla:—

“Ceadwalla vero ei succedens, xx. cassatos Deo Omnipotenti et monachis ibidem Deo servientibus dedit; sicque in fine scripti sui de eadem villa (scilicet Abbendun) ait: ‘Silva quæ vocatur Ædeleahing, et alia Colmonora, et Geatescum, pertinent his xx. hidis, quos ego ipse modo partim equi-

tando, modo partim navigando, large mensus sum, tum mihi tum omnibus meis successoribus, pro Deo et pro seculo. Cæterum quisquis dæmonis instinctu de his diminuerit, quæ ego Deo et Sanctæ Mariæ devota mente in perpetuum largitus sum, Christus illius potentiam diminuat hic et in ævum, nisi cum perfecta emendatione adimpleat et restituat ea quæ a Deo abstulit.”